187

SERV. ARHIVELOR STATULUI CLUJ DEPOZIT

Nos Sigismundus Bathori de Somlio, Vaivoda Transsilvaniae, et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus per praesentes. Quod Nobilis Petrus
de Bille de Thorwys familiaris noster, coram nobis personaliter veniens in praesentiam, omnibus et quibuslibet gravaminibus uxoris, libero-
rum, fratrum, sororum, propinquorum et consanguineorum suorum, quos infrascriptum tangeret et concerneret, vel quovismodo in futurum
tangere et concernere posset negotium, per omnia super se assumptis et levatis, sponte et libere ultroneaque sua voluntate, ora-
culo vivae vocis suae propriae confessus est, et retulit nobis in hunc modum. Qualiter ipse matura primum intra se deliberatione
praehabita, arduisque et maximis suis necessitatibus, ipsum ad id faciendum urgentibus evitandis compulsus, totalem et integram
domum seu Curiam suam nobilitarem desertam, in possessione Magyargald, in vicinitate domorum Nobilis Joannis Istvan, ab una,
ac Providi Thomae Hata, iobbagionis Nobilis Petri Feyer de eadem Magyargald ab Egregio Volphgango Kornyss alias de Lyi
dicto, Aulae nostrae familiari octoginta florenis Hungaricalibus emptam, in hoc comitatu Albensi Transsilvaniae existentem, habitam, si-
mul cum cunctis suis utilitatibus, et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis agris, pratis, pascuis,
campis, foenetis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis,
aquarumque decursibus, molendinis et eorum locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum suarum integrita-
tibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, ad eandem domum et Curiam nobilitarem desertam, de iure et ab antiquo spectantem,
et pertinere debentem, sub suis veris metis et antiquis limitibus existentem, Generosae dominae Petronellae Tholdy de Zalomba,
relictae Egregii quondam Thomae Thornij de dicta Magyargald, ipsiusque haeredibus et posteritatibus ... utriusque sexus universis,
in et pro florenis similiter octoginta Hungaricalibus currentis et usualis monetae, coram nobis plenarie et integre persolutis,
et per eundem Petrum de Bille levatis et perceptis, in perpetuum dedisse, vendidisse et inscripsisse atque abalienasse,
prout nos in praesentia, iure perpetuo et irrevocabiliter, propria sua astantia et eloquio proprio dedit, vendidit, inscripsit et abali-
enavit, utendum, tenendum, possidendum pariter et habendum, Nullum ius, nullamque iuris et dominii proprietatem, quod vel et quam
idem Petrus de Bille, suique haeredes et posteritates utriusque sexus universi, in dominio eiusdem domus et Curiae nobilitaris
desertae, et pertinentiarum suarum habuissent, aut in futurum sibi haberi posse speravit, sibi ipsis penitus et simpliciter reservando, sed
id totum et omne, in memoratam Petronellam Tholdy, suosque haeredes et posteritates utriusque sexus universos transtulis-
se et transfudisse pleno iure et cum effectu, immo coram nobis transtulit et transfudit. Harum nostrarum vigore et te-
stimonio literarum mediante. Datum Albae Juliae die decima tertia mensis Junii. Anno domini Millesimo Quingentesimo
Nonagesimo.

1590 13/6

187

Dichella Pter Vonarhaaz
Gyerik, Magyar Gabor
kett vett Torny Tamastul.
Ys R 80.

Concordium: